

sunt, quod tunc Archeus modò ad hanc, modò ad aliam, debilitatam tamen aut dispositam, partem amandare valet. Et licet venæ revehant sanguinem, & lymphatica vasa lympham, utrumque humorem superfluum, nihilo tamen minùs in glandulis dispositis relinquitur particula, ad ichorescentiam & vappescentiam proclivis.

## CAPUT IV.

*Causas mediatas remotiores examinat.*

**C**Ausarum remotiorum examen suscepturi, triplices easdem deprehendimus: naturales, nonnaturales & præternaturales. Inter NATURALES temperamentum *melancholico-pituitosum* satis aptum natum est ad cruditates tum in primis, tum secundis viis adaugendas, maximè verò qualitates peccantes. Quid enim aliud notat *melancholia*, quam diathesin humorum particulis terrestribus salinis & acidis imprægnatam; & *pituita*, quam ferum omni vitalitate ferè exutum & ad concretionem seu coagulum mirum quantum proclive.

*Ætas* aliàs ab ætate differt; sed hic vix valebit exceptio ulla. Juvenilis æquè ac consistens, puerilis æquè ac senilis hòc vexatur à malo. Consistens tamen ad viscedinem ac lentorem magis prona est, siquidem sanguis & imprimis lymphæ de statu suo oleoso balsamico defleuntur, & peregrinam induunt naturam.

Consentit quoque ad hujus mali genituram *habitus corporis* densior, quippè qui humorum insensibili transpirationi viam præcludit, impuramque reddit lympham.

*Dispositio hereditaria* parum aut nihil huc confert, nisi *αὐγώς* paulò; siquidem hujus mali contagium est magis fixum, ceu supra innuimus, unde neque ab extra, neque